

1557

neficio, concordia coalescant. Carolus Naugerii oratione permotus prosperum rei exitum Senatui acceptum relaturum, immortalis beneficij memoriam nunquam sibi excidere passum, amplissimis verbis testatur.

Albanus e suis, qui Senatus scribam in castra ducat, hominem Romanum mittit. Is, fiduciariis Senatus literis exhibitis, subjicit, notum Proregi esse, quantopere Veneti, ut ab Italia bellum averterent, nixi fuerint: postquam ad arma deuentum est, nunquam suadendo, bortando, ut concordiae ratio aliqua iniretur, destitisse: Phœbum ob id Capellam ad eum misse, neque minus propensum in pacem animum Regem ostendisse, qui negotium omne Republica permiserit; cum hactenus omnia irrito conatu acciderint, nunc Dei Optimi Maximi beneficio opportunum tempus adesse, quo Philippus, eximia victoria comparata, excelso animo ad pacem conciliandam uteretur: magna spe duci, si in colloquium descendatur, rem celerrime confici posse; quapropter petere, ut quamprimum ad certum cum pontificiis locum conveniat. Albanus Senatus in pacem studium effert, Regem eadem esse mente testatur. Ceterum congregdi cum pontificiis se posse negat, colloquia utpote alias inani fructu suscepta aversatur. Quid enim quæ Grottoferatae, quæ in insula habita fuerant, commemoraret? e Regis dignitate non esse tempus inutili verborum certamine conterere. Quod enim observantiae, atque obsequii genus in Pontificem edi posset, quod ille non cumulate prestitusset? an non Paliani vice Senarum urbem per Franciscum Paceccum obtulisse? at fastu tumentes ingentia facta, egregios magnarum rerum successus spirantes, se ne responso quidem dignatos: si illorum animos tanta pacis cupiditas incessisset, rem peragi absque colloquio posse. Ad hæc Franciscius: nullam neque faciliorem, neque compendiosiorem ad concordiam viam esse, quam si coram mutuis sermonibus disceptetur: dum per alios agitur, mora, cunctatione incerta, ac fallaci eventus spe negotium protrabi. Tum Albanus: si par utrinque voluntas afferatur, verendum non esse, ne res cito conficiatur; nihil eo bello Regem petere; nullas ad eum urbes, nulla oppida perventura; cuncta, quæ receperis- set, Ecclesiæ redditurum: cur igitur a pace, modo æquis con- ditio-